



## **Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus**

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

**Lourenço, Agostinho**

**Leodici Eburonum, 1692**

Disputatio Prima. De Existentiâ, quidditate, & divisione Meriti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)



# TRACTATUS II. DE MERITO.



ACTENUS egimus de Conscientiâ, quæ est regula, seu quasi regula bonarum actionum, nunc autem nobis agendum est de Merito ipsarum bonarum actionum, de illoque hunc specialem Tractatum instituiimus. Tractant igitur de hac materiâ *D. Thom.* 1. 2. quæst. 114. & ibi omnes Theologi. *P. Vasq.* 1. 2. quæst. cit. *P. Soar.* tomo 3. de *Grat.* lib. 12. *P. Tanner.* 1. 2. quæst. 114. d. 6. quæst. 6. dub. 1. & seqq. *P. Valent.* tomo 2. d. 8. quæst. 6. a punct. 1. *P. Filiu.* tract. 21. cap. ultim. quæst. 9. *P. Bellarm.* tomo 4. lib. 5. de *Iustificat.* à cap. 1. *P. Amicus* tomo 3. d. 35. *P. Egid.* de *Actib. supernat.* d. 8. *P. Ripal.* de *Ente supernat.* tomo 2. lib. 4. d. 71. & seqq. *P. Arriaga* tomo 4. d. 53. & seqq. *P. Espars.* tomo 1. lib. 3. à quæst. 30. *P. Roder.* tomo 1. d. 4. de *Grat.* à quæst. 1. *P. Compton.* tomo 1. d. 126. & alii, quos ipsi citant, & nos infra citabimus per totum hunc Tractatum, quem in quinque Disputationes divisum dabimus: *Prima* erit de Existentiâ, quidditate, & divisione Meriti. *Secunda* de requisitis ad Meritum. *Tertia* de augmento Meriti de condigno. *Quarta* de rebus quæ cadunt sub Meritum. *Quinta* de Merito de congruo, & illius præmio. Sit igitur.

## DISPUTATIO I.

### De Existentiâ, quidditate, & divisione Meriti.

#### SECTIO I.

##### *An sit, & quid sit Meritum?*



**D**IFFICULTAS I. Utrum detur Meritum, possintque homines viatores aliquid apud Deum simpliciter mereri ex gratiâ, siue per gratiam operando? Affirmativè. Est de fide. Ita *Vega opuscul. de Iustificat. quæst. 4.* *Stapleton.* lib. 10. de *Iustificat.* cap. 8. *P. Bellarm.* cit. lib. 5. cap. 1. *P. Soar.* cit. cap. 1. num. 5. *P. Valent.* cit. d. 8. quæst. 6. punct. 2. *P. Tanner.* cit. d. 6. quæst. 6. dub. 1. num. 5. *P. Arriaga* cit. d. 53. sect. 1. num. 1. *P. Amicus* cit. d. 35. sect. 1. num. 4. & omnes alii cit. Probatur primò ex sacra Pagina *Ecclesiast. 16. 35. ibi;*  
Tomo 2.

*Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum Meritum operum suorum.* Et ad *Hebr. 13. Beneficentia, & communionis nolite oblivisci, talibus enim hostis promeretur Deus.* Ubi verbum activum passim positum est, ut notarunt *P. Bellarm.* & *P. Soar.* cit.

Deindè vita æterna multis in locis nominatur *Mercies*, ut *Gen. 15. & 1. Paral. 15. Proverb. 11. Sapient. 5. Ecclesiast. 18. Isai. 4. Matt. 5. 1. Cor. 3. Apocal. ult.* Sed *merces, & meritum* sunt relativa; siquidem *merces* meritis redditur, sicut *gratia* gratis datur; ergo opera secundum morem loquendi Scripturæ, rectè dicuntur *Merita*. Similiter vita æterna promittitur nostris operibus ut *Corona*, ut constat *1. Cor. 9. & 2. ad Timoth. 4. Jacob. 1. & 1. Petr. 5. & Apoc. 2.* ut *Premium & Bravium*, *1. Cor. 9.* ut *Retributio* ex *Psal. 65. Matt. 16. Rom. 2. dari* secundum *mensuram* nostrorum operum, & laborum, ex *Psal. 65. Matt. 16. Luc. 6. Rom. 2. & 1. Cor. 3. ad Gal. 6. & Apoc. ult.* secundum *justitiam*, ut *2. ad Thessalon. 2. & 2. Tim. 4. ad Hebr. 6. Jacob. 1. & 1. Cor. 9. Apoc. 2.* Conferri prævio operum examine, ut *Matt. 25.* ex quibus omnibus satis constat dari in nostris operibus meritum apud Deum.

Probatur secundò auctoritate *Cencil. Arauf.* 34  
can 18.

can. 18. ibi: *Debetur merces bonis operibus, si fiant, sed gratia, quae non debetur, praecedit, ut fiant.* Et Concil. Lateran. cap. *Firmiter, de Sum. Trinit.* Non solum, inquit, virgines, & continentes, verum etiam conjugatae per rectam fidem & operationem bonam placentes Deo, ad aeternam mereantur beatitudinem pervenire. Idem tradit Concil. Florent. in *Litter. union. & Trid. sess. 6. cap. 16. & Can. 26. & 32.* ubi definitur, *verè promereri justos per sua opera vitam aeternam; ergo &c.*

4. Probatur tertio autoritate Sanctior. Patrum, D. Ignat. Martyr. *Epist. ad Roman.* *Sinite me, ait, ut beatorum esca sim, per quam possim Deum promereri.* Et D. Justin. in *Apolog. 2.* *Homines, inquit, qui dignos se Dei voluntate, & consilio operibus praestiterint, cum eo victuros esse meritis suis sumpsimus.* Et D. Iren. lib. 4. *adversus haereses cap. 72.* *Preciosam, ait, arbitremur coronam, quae per agonem nobis acquiritur.* Et Origen. lib. 2. in *Epist. ad Rom. 2.* *Primo, inquit, excludantur heretici, qui dicunt, animarum naturas bonas, & malas, & audiant, quia non pro natura, sed pro meritis reddit Deus.* Et D. Basil. lib. *de Spirit. Sanct. cap. 24.* *Homo, inquit, ex operibus justitia salvatur.* Et D. Joan. Chrysostom. *hom. 4. de Lazaro.* *Si justus est Deus, & his, & illis reddet pro meritis.* Et D. Hilar. *can. 5. in Matt. Regnum Dei, ait, vitae nostrae stipendium quaeramus.* Et D. Amb. lib. 1. *de Officiis cap. 15.* *Nonne, ait, evidens est meritum, aut praemia, aut supplicia post mortem manere?* Et D. Aug. *Epist. 105. ad Sixtum.* *Nullane, ait, sunt merita justorum? Sunt plane, quia justus sunt; sed ut justus fierent, merita non fuerunt. Idem habent D. Greg. Nazianz. orat. de Baptismo. D. Greg. Nyssen. orat. 1. de Amand. pauper. Tertul. lib. *de Resurrect. cap. 15.* D. Cyprian. lib. *de Simpliciter. Pralator. D. Hieron. lib. 2. advers. Jovinian. ad finem. D. Paulin. Epist. ad Victricium. D. Prosper. in Responson. ad cap. 6. Gallor. D. Celestin. Papa. epist. ad Gallos cap. 12. D. Greg. lib. 4. Moral. cap. 42. & D. Bern. in Cant. serm. 68.**

5. Probatur quarto rationibus: Prima, quia opera bona iustorum habent omnes conditiones, quae requiruntur ad proprium Meritum Gratiae, & Gloriam, ut ex infra dicendis constabit; ergo &c. Secunda, quia talia opera sunt laude digna; consequenterque digna retributione aliqua conferenda ab eo, in cuius honorem, & obsequium natura sua ordinantur; ergo &c. Tertia, quia congruum fuit, ut Deus praedicta opera ordinaverit ad aliquod praemium supernaturale recipiendum; siquidem id convenit omni Reipublicae bene regulatae, & ordinatae, ut homines spe praemii recipiendi alliciantur ad bene operandum; ergo &c. Quarta, quia Deus ordinavit malis operibus, sive peccatis supplicia inferenda; ergo etiam bonis operibus, sive meritis praemia conferenda.

6. Contra hanc catholicam veritatem sic probatam, & definitam stant nostri temporis Sectarii, facem sicut in plerisque aliis praefereute Lutheri, quem plures ejusdem farinae sequuntur, licet non omnes Meritum hominis apud Deum negent; admittunt enim aliqui, hominem apud Deum aliquid promereri posse, ut patet in *Confessione Augustana*, & ejus *Apolog. art. 20.* & apud Joan. Brentium in *Confess. Wirtenbergensi, cap. de bonis operibus.* & Martin. Kemnitium, in examine Concil. Trid. *sess. 6. sub finem.* Solus Calvin. lib. 3. *Instit. cap. 14.* arroganti supercilio toties iteratam Scripturae, & Sanctior. Patr. phrasim despiciens, vult prorsus abstinendum esse à nomine *Meritum*, & *Merces*, & si re ipsa convenire videatur cum Lutheranis afferentibus, solam Fidem conducere, & sufficere ad

salutem consequendam, etiamsi nulla sint opera bona, imò quantumcunque quis gravibus, atrocibusque criminibus sit onustus. Igitur:

Arguunt 1. ex *Psal. 102.* *Qui coronat te in misericordia, & miserationibus.* Item *Matth. 5.* *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Et *Jacob 2.* *Judicium sine misericordia ei, qui non fecit misericordiam; sed ex his, & similibus locis constat, ipsam etiam coronam gloriae dandam esse ex misericordia, & non ex justitia propter merita; ergo &c.* Respondeo cum D. Aug. *epist. 105. & lib. de corrept. & grat. cap. 13.* *Beatitudinem tribui quidem misericordiae, non quia non sit vera merces Meriti, sed quia ipsa Merita ex misericordia data sunt.*

Arguunt 2. *Isai. 55.* *Venite, emite absque argento, & absque commutatione vinum, & lac.* Item *Daniel. 9.* *Non in justificationibus nostris prosterminimus peccata nostras, sed in miserationibus tuis magnis; ergo &c.* Respondeo cum P. Bellarm. lib. 5. *de justificat. cap. 5.* dato, quod per vinum, & lac significetur gloria sempiterna, (quod ipse negat,) gratiam Dei non acquiri quidem per merita, sed gratis dari, licet non absque opere, & labore nostro. In secundo autem loco *Daniel* coronam non petit, sed liberationem à captivitate, in quam populus propter peccata sua devenerat.

Arguunt 3. *Luc. 17.* *Cum feceritis hac omnia, dicite servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus; ergo &c.* Respondeo cum D. Amb. lib. 3. in *Luc.* *Dominum ibi jubere, ut agnoscamus, quod ex nobis sumus: Agnosceda, ait, gratia, sed non ignoranda natura: itaut ex hac nobis servi inutiles sumus; utiles autem per gratiam juxta illud 2. *Tim. 2.* *Qui emundaverit se ab his, erit vas in honorem sanctificatum, & utile Domino ad omne opus bonum paratum.**

Arguunt 4. *Rom. 6.* *Stipendium peccati mors, gratia Dei vita aeterna: ex quo videntur excludi merita: tum quia vita aeterna non dicitur stipendium meriti, sicut mors aeterna stipendium peccati: tum etiam, quia simpliciter dicitur gratia; ergo &c.* Respondeo cum D. Aug. *epist. 105. in Enchirid. cap. 107. & lib. de grat. & liber. arbit. cap. 1. & 9.* *vitam aeternam non dici stipendium meriti, sicut stipendium peccati mors (cum tamen dici posset,) ne quis existimaret, ita nos ex nobis habere justitiam, sicut ex nobis habemus peccata: Dicit autem gratia, non quia non sit merces, sed quia ipsa merita sunt ex gratia.*

Arguunt 5. *Rom. 8.* *Non sunt condigna passiones hujus temporis, &c.* Respondeo cum P. Bellarm. cit. *cap. 3.* *Apostolum loqui de substantia ipsorum operum, & non de proportione absolutà; siquidem passiones hujus temporis breves sunt; gloria autem illa aeterna est; aliqua tamen proportio est inter hanc gloriam, & illas passiones ob charitatis dignitatem à qua procedunt. Patet, nam Christi passio multo brevior fuit, quam poenae damnatorum; & tamen ob dignitatem Personae patientis dignissima fuit, quae pro illis poenis justissime satisfaceret.*

Arguunt 6. *Ad Phillip. 3.* *Hac omnia, quae mihi erant lucra, propter Christum detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrificarem; & ut inveniar in illo, non habens meam justitiam, quae ex lege est, sed illam, quae ex fide est Jesu Christi.* Et *ad Ephel. 2.* *Gratia salvati estis per fidem, non ex operibus.* Et *ad Tit. 3.* *Non ex operibus justitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam magnam misericordiam salvos nos fecit; ergo &c.* Respondeo primo cum P. Bellarm. cit. *cap. 5.* *Apostolum in his locis loqui de salute inchoata per gratiam justificationis, quam fatemur non*

non haberi per merita, sed gratis donari: non autem loqui de salute perfecta, quæ habetur in cælis, eamque per merita ex gratia.

83. Respondeo secundo, Apostolum loqui de iustitia, & operibus, quæ fidem, & gratiam præcedunt; idè enim fidei, & gratiæ illa opponit, ut patet: hæc autem opera, & iustitiam nos etiam despiciamus, & concedimus non esse merita, quibus debetur, & consequitur vita æterna.

14. Arguunt 7. Ad Rom. 3. *Exclusa est gloriatio tua, per quam legem? factorum? non, sed per legem fidei;* ergo si fides excludit omnem gloriationem, quæ est ex operibus, excludit certè omnia opera meritoria; alioqui posset quis de illis gloriari. Respondeo fidem excludere gloriationem eorum, qui in se, non autem eorum, qui in Domino gloriantur, id est, qui iustitiam, & merita, Deo adjuvante, se habere posse confidunt; alioqui non diceret Apostolus: qui gloriatur in Domino gloriatur. Quod etiam dicit D. Bern. in *Cant. serm. 13.*

SECTIO II.

Proponuntur, & solvuntur alia argumenta deducta ex Sanctis Patribus, & ratione.

15. **OP**PONUNT 1. D. Hilar. in Psal. 51. *Non enim, inquit, illa ipsa iustitie opera sufficerent ad perfectæ beatitudinis meritum, nisi misericordia Dei etiã in hac iustitie voluntate .... non reputet vitia.* Respondeo, D. Hilar. hic solum docere cum bonis meritis admisceri peccata quædam, licet venialia, quæ hominem non faciunt injustum, indigent tamen Misericordia, & remissione, quia nihil coinquinatum intrabit in illam.

16. **OP**PONUNT 2. Ex D. Basil. in Psal. 114. *Manet sempiterna requies illis, qui in hac vita legitime certaverunt, non ob eorum merita factorum, sed de munificentissimi Dei gratia, in qua sperarunt.* Respondeo cum P. Bellarm. cit. cap. 6. non rectè verba S. Basil. Kemnitium interpretari; siquidem in Græco non inveniuntur verba illa: *Non ob eorum merita.* Hoc tamen dato, dicendum est, solum à D. Basil. excludi merita, quæ sint homini à se, & prædicari merita, quæ sint homini ex gratia, quod nos etiam dicimus, & infra dicemus.

17. **OP**PONUNT 3. Ex D. Aug. in Psal. 70. *Concion. 2. Tua peccata sunt, merita, Dei sunt. Supplicium tibi debetur, & cum premium venerit, sua dona coronabit, non merita tua.* Idem dicit *serm. 15. de verb. Apostol. & lib. de grat. & liber. arbit. cap. 9.* Idem D. Prosper. *lib. 1. de vocat. gent. cap. 17.* Item D. Greg. *lib. 9. Mor. cap. 14.* Et D. Bern. *serm. 1. de Annunciat. & serm. 61. in Cant. & serm. 15. in Plal. Qui habitat.* Respondeo cum P. Bellarm. cit. omnes hos Sanctos Patres, ubicunque merita damnant, locutos esse de meritis, quæ sint in nobis ex nobis, id est, sine gratia Dei: non autem de meritis, quæ sint in nobis ex gratia; siquidem nobis, ut operamur ex gratia, nullus eorum negavit, deberi vitam æternam ex merito, ut patet ex supra adductis eorum testimoniis.

18. **OP**PONUNT 4. Multi Sancti Patres damnant eos, qui in operibus propriis confidunt in ordine ad salutem æternam consequendam; ergo &c. Respondeo Sanctos Patres, (si qui sint,) loqui de operibus ex nobis, id est naturæ viribus factis, & sine gratia, prout supra diximus, & infra dicemus. Imò si aliquando loquuntur de operibus supernaturalibus,

Tom. 2.

intelligendi sunt in ordine ad primam justificationem de condigno promerendam: non autem in ordine ad augmentum gratiæ, & gloriam promerendam; in quibus etiam non est ita confidendum, quasi homo à Deo non accipiat principia ad talia opera faciendâ, quod poterunt, & merito, damnare Sancti Patres.

**OP**PONUNT 5. Nulla sunt in homine opera bona, cum omnia sint peccata; siquidem Originale, quod est in homine, omnia ejus opera coinquinat, & deturpat; ergo nulla sunt præmio, imò omnia sunt supplicio digna. Respondeo negando antecedens, & patet ex illo *Math. 5. Sic luceat lux vestra, ut videant opera vestra bona.* Et *Job. 1. In omnibus his non peccavit Job.* Et *Psal. 6. Exaudi Domine iustitiam meam.* Et *Psal. 7. Judica me Domine secundum iustitiam meam, & secundum innocentiam meam super me.* Idem habet *Psal. 17. Psal. 25. & Psal. 108.* ubi David credebatur, posse hominem facere ex gratia Dei opera iustitiæ, secundum quam petebat judicari à Deo.

Patet deinde, quia si omnia opera iustorum essent mortaliter peccaminosa, ut asserunt aliqui nostri temporis hæretici, multa sequerentur absurda. Primum, opus fidei, quo iustificamur, esse peccatum mortale, hominemque iustificari per peccatum. Secundum, orationem illam: *Dimitte nobis debita nostra:* etiam esse peccatum, hominemque petere, & impetrare veniam, & remissionem peccati per ipsum peccatum. Tertium, Apostolum falsò dixisse *1. Cor. 4. 4. Nihil mihi conscius sum.* Imò per ipsa peccata expectaret à iusto Iudice coronam iustitiæ, cum dixit *2. Tim. 4. 8. Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus iustus Iudex.* Quartum, Deum peccare mortaliter; siquidem Deus est, qui operatur in nobis omnia opera bona juxta illud ad *Philip. 2. 13. Deus est, qui operatur in vobis, & velle, & perficere.* Et *Jacob. 1. 17. Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deforsum est, descendens à Patre luminum.* Quintum, aliqua peccata esse bona; & verum hunc Syllogismum: *Omnia opera bona sunt faciendâ; aliqua peccata sunt bona; ergo aliqua peccata sunt faciendâ.* Similiter aliqua opera bona esse peccata; verumque hunc Syllogismum: *Nullum peccatum est faciendâ; aliqua opera bona sunt peccata; ergo aliqua opera bona non sunt faciendâ.* Quæ omnia sunt absurdissima, & minimè admittenda cum fide catholica.

**OP**PONUNT 6. Gratia, ut ipsum nomen indicat, datur gratis; alioqui jam non est gratia, sed debitum; ergo non datur ex meritis; consequenterque nostra bona opera non sunt meritoria gratiæ, & gloriæ. Respondeo primam gratiam dari quidem omninò gratis; augmentum verò illius, & gloriam dari per merita, sive opera ex gratiâ facta. Imò & ipsam augmentum dicitur etiam dari gratis, saltem in radice, quatenus Deus gratis tribuit auxilia efficaciam ad eliciendos actus, quibus illud promeremur de condigno: quæ etiam ratione vita æterna dicitur misericordia, & gratia, nempe in principio illam merenti.

**OP**PONUNT 7. Si nostra bona opera essent ex se meritoria gratiæ, & gloriæ, sequeretur multum detrahere Merito Christi Domini, quatenus videretur nobis non sufficere ad salutem consequendam; sed hoc non est dicendum; ergo &c. Respondeo negando sequelam; siquidem merita iustorum non opponuntur meritis Christi, sed ex illis nascuntur, & si quid habent laudis, in laudem meritum Christi redundat; ipse enim vitis, nos palmites, & sicut palmes non potest fructum ferre,

112

nifi

nisi manserit in vite, sic & nos nihil possumus sine Christo facere. Unde sicut nemo dicit detrahi de gloria vitis, si palmites ipsius multum fructum auferant; ita nemo, nisi planè stultus, dicere potest detrahi de gloria Christi, si servi ejus per gratiam ejus, per Spiritum ejus, per fidem, & charitatem ab ipso inspiratam bona opera faciant, quibus debeat ab ipso iusto iudice corona justitiæ.

23. Inferunt: Ergo si requiruntur merita nostra, non sufficiebant merita Christi. Respondeo negando illationem, nam merita nostra non requiruntur ob insufficientiam meritorum Christi, sed ob maximam eorum efficaciam; siquidem opera Christi meruerunt apud Deum, non solum, ut salutem consequeremur, sed etiam ut eam per merita propria consequeremur. Sive (quod est idem) non solum æternam salutem, sed etiam virtutem merendi nobis meruerunt.

24. Patet exemplo, nam quòd Deus utatur Sole ad Mundum illuminandum, igne ad calefaciendum, aurâ, & pluviis ad refrigerandum, non est in causa imbecillitas Dei, quasi Deus non posset per se absque Sole, igne, aurâ, & pluviis Mundum illustrare, calefacere, & refrigerare, sed maximam ejus Omnipotentiam commendat, quâ potuit non solum ista facere, sed etiam rebus creatis vim faciendi tribuere; ergo similiter, quòd Deus utatur nostris meritis ad salutem consequendam, non est in causa insufficientia Meritorum Christi, quasi ipsa non posset sufficere per se absque nostris meritis ad vitam æternam consequendam, sed maximam eorum efficaciam commendat, quatenus non solum potuerunt nobis sufficere, sed etiam nobis vim, seu virtutem tribuere, quâ possemus illam mereri, & per nostra merita consequi.

25. Instant: Si non solis meritis Christi, sed etiam nostris salutem consequeremur, sequeretur saltem dividi gloriam assequendi nostram salutem inter Deum, & hominem, posseque hominem dicere habere ex se, de quo gloriatur contra illud Apostoli 1. Cor. 4. 7. *Quid gloriaris, quasi non acceperis?* Respondeo negando sequelam; nam merita nostra, dona sunt Christi, quamvis enim in opere bono, quod nos, Deo adjuvante, facimus, nihil sit nostrum, quod non sit Dei, neque aliquid sit Dei, quod non sit nostrum, ita ut totum faciat Deus, & totum homo, ratio tamen, cur tale opus sit dignum vitæ æternæ, tota pendet à gratiâ, quæ est à Deo.

26. Opponunt 8. Homo per peccatum amisit libertatem, & integritatem naturæ; sed absque his non potest elicere opus meritorium: tum quia absque libertate non datur opus moraliter bonum: tum quia absque integritate naturæ nequit homo Deum super omnia diligere; consequenterque neque ex illius amore bene operari: tum etiam, quia impellitur à fomite peccati, ut semper peccet contra illud præceptum: *Non concupisces*; ergo &c.

27. Respondeo negando majorem quoad primam partem; in qua hæretici incoherenter procedunt; siquidem liberum arbitrium non minus requiritur ad merendum, quàm ad peccandum; illi autem negant meritum nostris actionibus bonis ob defectum libertatis, cum tamen illis tribuant demeritum, cui similiter obstat necessitas in operando. Unde quod homo per peccatum non amisit liberum arbitrium, tam ad merendum, quàm ad peccandum constat ex illo Ecclesiast. 15. ibi: *Ante hominem vita, & mors; bonum, & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Et supra. *Deus ab initio constituit hominē, & reliquit illum in manu consilii sui.* Et ita definiuit Concil. Trid. sess. 6. can. 5. ibi: *Si quis liberum homi-*

nis arbitrium post *Ad peccatum, amissum, & extinguitum esse dixerit: anathema sit.*

Quoad secundam partem etiam negamus, non posse hominem absque integritate naturæ opera meritoria exercere, si adsit gratia, ut patet ex dictis, ex quibus etiam constat falsitas primæ & secundæ probationis; potest enim homo Deum diligere ad-jutus divinâ gratiâ, & ad id præceptum habet, quod non obligat ad impossibilia, Patet etiam falsitas tertie probationis ex illo Gen. 4. 7. *Nonne si bene egeris, recipies: sin autem male, statim in foribus peccatum aderit? sed sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius: quod cum gratia Dei possumus juxta illud 2. Cor. 12. 9. Sufficit tibi gratia mea.*

### SECTIO III.

#### Quid sit, & qualiter definiatur Meritum?

**D**IFFICULTAS 2. Quid sit Meritum? Meritum, quod à merendo dicitur, latissimè sumptum, & ex vi nominis acceptum de se esse indifferens ad bonum, & malum opus, & prout sic dignum præmio, & supplicio apud Deum, de utroque enim scriptum est, quod *Reddet unicuique secundum opera sua.* Et per peccatum dicitur homo mereri, aut iram Dei, ut Job. 6. *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui: aut pœnam, & supplicium, ut ad Hebr. 10. Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit.* De merito autem bonorum operum constat ex supra dictis, præsertim ex illo Ecclesiast. 16. *Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum.*

Jam verò communi Theologorum acceptione Meritum simpliciter dictum sumitur in bonam partem pro solo merito præmii; nam meritum supplicii vocari solet demeritum, aut cum addito malum meritum, ut illud appellat D. Aug. lib. de Grat. & liber. arbitr. cap. 5. aut meritum supplicii, ut idem dicit lib. 83. qq. quest. 68. Quocirca meritum sic generatim sumptum definitur primò à P. Soar. tomo 3. de Gratia lib. 12. cap. 1. num. 4. *Opus aptum ad obtinendum aliquod præmium.* Secundò à P. Valent. tomo 2. d. 8. quest. 6. punct. 1. *Meritum est opus liberum, bonum, ad alterum aliqua ratione spectans, quod proinde secundum modum aliquem equalitatis, sive justitiæ, aliquo munere ab altero compensari debeat.* Quam definitionem meriti ipse P. Valent. dicit colligere ex D. Thom. 1. 2. q. 114. art. 1.

Tertio definitur Meritum prout sic à P. Ripah. tomo 2. de Ente Supernat. d. 71. lib. 4. sect. 1. *Obsequium cedens in utilitatem, aut honorem alterius valentis illud munere aliquo compensare.* Hinc meritum duplicem respectum includit, alterum ad personam remunerantem, superioremve, in cujus obsequium opus exhibetur: alterum ad munus, sive præmium, quo tale obsequium compensatur, veluti ad effectum morale, quem, movendo voluntatem superioris, præviâ sui approbatione, & complacentiâ, causat. Contra hanc definitionem.

Argues 1. Nullum est opus honestum, quod non sit apud Deum meritorium alicujus præmii, saltem naturalis; sed potest dari opus honestum, quod non sit obsequium cedens in utilitatem, aut honorem Dei; siquidem potest quis operari honestè cum ignorantia invincibili Dei; tunc autem nullum Deo obsequium præstatur; nemo enim, cui ignorat obsequium

obsequium præstat; ergo &c. Respondeo negando minorem argumenti, & illius probationis: Primò, quia sic operans, & ignorans existentiam Dei, adhuc meretur apud Deum: tum quia ut opera honesta cedant in laudem, & honorem Dei, non est opus actualis notitiæ Dei, nec relatio actualis operis in Deum: tum etiam quia opera honesta cuiuscumque hominis cedunt in decorem, & ornamentum Reipublicæ rationalis, cuius Deus est moderator, & Princeps, ad quem pertinet optimè gesta in suam Reipublicam remunerare.

Secundò, quia illud opus de se, & ex naturâ suâ, cum sit honestum, in Deum refertur, ut testatur D. Aug. *tomo 8. in psal. 34. dum loquitur: Suggesto, tibi, inquit, remedium, ut corâ die laudes Deum; si vis, quidquid egeris bene age, & laudasti Deum: Si igitur opus honestum ex eo, quod tale sit, contineat laudem Deo, ut ait D. Aug. cur etiam non continebit obsequium, cum laudare Deum sit ei obsequium præstare? Confirmatur, quia peccatum commissum cum ignorantia invincibili Dei, ex eo, quod sit naturæ absolum, est Deo ingratum, & ab eo puniendum; ergo etiam opus honestum, licet factum cum simili ignorantia, erit Deo gratum, & ab eo remunerandum.*

Argues 2. Suppositâ revelatione Divinâ dicente Petro, nullum præmium esse à Deo conferendum sibi honestè operanti, actus fidei, quo Petrus crederet huiusmodi revelationem, esset honestus; & tamen non esset ex se potens movere ad ullam retributionem alicujus præmii; siquidem cum talis actus esset essentialiter verus, essentialiter repugnaret falsitati; repugnat autem falsitati, in quantum repugnat retributioni, per quam falsus redderetur; ergo si repugnat retributioni, non potest ad illam movere; consequenterque non omnis actus meritorius est ex se movens ad retributionem.

Respondeo cum P. Ripal. *cit. num. 3. negando minorem; talis enim actus ex se potest esse meritorius, & movens ad præmium, licet Deus non esset illum præmiaturus; nam ut sit meritorius in actu primo, non requiritur, quod contineat absolute præmium, sed tantum sub conditione, quod illud non repugnet tribui merito; sufficit enim continere honestatem obsequii moralis gratiam superiori, ac moventem ex se ad retributionem, si illa non repugnet. Confirmatur, quia in opinione communi, de quâ nos in Physicâ, Deus esset omnipotens, licet creaturæ repugnant, quia illas contineret absolute, si per impossibile non repugnant; ergo etiam ille actus continet meritale præmium, licet hoc ei repugnet, quia justè remuneraretur à Deo, si per impossibile posset Deus non stare suo decreto, aut ille actus posset stare sine decreto Dei. Adhuc tamen sit:*

Dubium 1. Utrum in opere meritorio bono distinguatur ratio formalis laudabilitatis à ratione formalis meriti distinctione reali? Negativè. Probat, quia laudabilitas in opere bono includit eò ipsò honestatem ipsius operis; ac proinde rationem obsequii, & meriti, & è contra; siquidem opus bonum est laudabile, quia honestum, & quia honestum est meritorium ac proinde laudabile; ergo utrumque formaliter includit.

Utrum verò huiusmodi formalitates distinguantur saltem per rationem? Quæstio est potius ad Metaphysicum, quam ad Theologum spectans; in ea tamen dici potest, distinguui per majorem, aut minorem expressionem conceptûs, & penes diversa connotata, quatenus eadem entitas actûs concipitur modò subtractione meriti in ordine ad personam

distinctam ab ipsa persona merente: & modò subtractione laudabilitatis in ordine ad ipsam personam honestè, & laudabiliter operantem. In quo sensu videtur loqui P. Ripal. *cit. sect. 3. ubi huiusmodi formalitates distinguit.*

Dubium 2. Utrum, & in quò distinguatur meritum à satisfactione? Meritum in eo distinguitur à satisfactione, quòd illud in abstracto sit valor desumptus ab intrinseca honestate operis, quem ex objecto habet, & à dignificatione per gratiam, movensque Deum ut remuneratorem ad præmium conferendum personæ merenti: Satisfactio autem propriè accepta consistit in eo, quòd actus, sive opus honestum sit afflictivum, sive aliquo modo poenale, respiciensque solutionem poenæ debitæ, ac movens Deum ut mansuetum, ne ulterius irascatur.

Hinc notabis primò, opus magis afflictivum magis satisfacere, licet aliquando minus mereatur, quia minus honestum. Secundò, omne opus meritorium esse simul satisfactorium; siquidem omne cum aliqua poena, & difficultate in hac vita exercetur. Tertio, satisfactionem pro poena temporali non minuere meritum gratiæ, & gloriæ in opere honesto, & supernaturali hominis iusti; siquidem non minuit honestatem ipsius operis cedentis in utilitatem, & honorem extrinsecum ipsius Dei, quem Deus acceptat in præmium gratiæ, & gloriæ.

Dubium 3. In quò meritum, & impetratio distinguantur? Dico 1. In quolibet opere bono, & honesto, (dummodò adsint omnia requisita, de quibus Disputat. sequenti,) datur ratio meriti, & impetrationis. Ita P. Ripal. *cit. num. 15. & est communis Theologorum, quatenus in omni opere honesto considerant rationem Meriti in ordine ad propriam gratiam, & gloriam; rationem satisfactionis in ordine ad poenas auferendas; & rationem impetrationis in ordine ad alia bona, aut sibi, aut aliis consequenda.*

Probat, quia omne opus bonum, & honestum, non solum est obsequium cedens in utilitatem, & honorem extrinsecum Dei, quâ ratione est meritorium, sed etiam est humilis confessio indignitatis, & indigentiae operantis, diviniæque bonitatis, ac potestatis protestatio, & suo modo deprecatio, quâ ratione est impetratorium; ergo &c.

Dico 2. Impetratio magis propriè, & strictè competit orationi, quam aliis operibus honestis. Ita P. Soar. *tomo 3. de Grat. lib. 12. in princip. num. 3. P. Ripal. cit. sect. 3. num. 16. P. Compt. 2. tomo 1. d. 126. sect. 2. num. 1. & alii. Probat, quia impetratio strictè innuit vim movendi superiorem per humilem deprecationem, quòd est proprium orationis; ergo &c. Confirmatur, quia ex hoc Theologi communiter docent inter actus virtutum, orationem esse magis impetratoriam, charitatem verò magis meritoriam apud Deum; ergo &c. Accedit, quòd oratio magis declarat propriam orantis indigentiam, & indignitatem, & Divinam bonitatem, ac potestatem magis testificatur, & deprecatur.*

Inferes: Ergo oratio amittit rationem meriti. Respondeo negando illationem; alioqui nullum opus bonum, & honestum haberet rationem meriti, cum omne sit etiam impetratorium, nam licet ut meritorium respiciat Deum ut remunerantem, etiam ut impetratorium illum respicit ut liberalem. Undè in eo discriminatur impetratio orationis ab impetratione aliorum operum, quòd illa sit expressa, hæc verò sit tacita, itaut per quam-

cunque Deus nobis concedat id, quod nobis iudicat convenire, sive expressè, sive tacitè illud petamus.

44. Dico 3. Meritum, & impetratio in hac vita non distinguuntur, nisi penès diversa connotata. Patet ex proximè dictis, & ex supra dictis num. 36. & 37. Undè licet quis ex actu charitatis petat alterius salutem, & illam ei impetret, quin illam mereatur de condigno; sibi verò mereatur de condigno ex tali actu gratiam, & gloriam, quam tamen ex vi impetrationis non impetrat, non idè respectu meriti, & impetrationem in tali actu distingui realiter quoad suam entitatem intrinsecam, sed totum hunc actum petitionis, quatenus meritum, consequi à Deo propriam gratiam, & gloriam, & quatenus impetrationem, consequi alteri salutem, quam ei petit à Deo.

45. Dico 4. Meritum, & impetratio in alia vita separantur. Ita *D. Thom. 1. 2. q. 114. art. 9. ad 1. & 2. 2. q. 83. art. 11. P. Ripal. cit. sect. 3. n. 14. P. Compton. tom. 1. d. 126. sect. 2. n. 5. & alii.* Probatur, quia Christus Dominus in cælo non meretur, neque sibi, neque nobis, cum jam sit extra viam, in qua solum mereamur, ut infra dicemus; & tamen ibi nobis oratione sua multa bona impetrat pro nobis intercedendo juxta illud ad Rom. 8. 34. ibi: *Qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Et *1. Joan. 2. 1. Advocatum habemus apud Patrem JESUM CHRISTUM justum; & ipse est propitiatio pro peccatis nostris;* ergo &c.

46. Confirmatur, quia hoc idem de Beatissima Virgine, & aliis Sanctis dicendum nobis videtur; siquidem juxta ubique receptam Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem in dies ipsis supplicamus, ut pro nobis Deum orent, qui etiam sine dubio orando impetrant; & tamen secundum communem omnium sententiam, jam non merentur; quod etiam de animabus in Purgatorio communiter affirmatur; ergo &c.

47. Et hujus ratio est, quia licet Meritum, & impetratio non distinguantur quoad entitatem actus, prout supra diximus, potest tamen deesse aliqua conditio requisita in tali actu, ut habeat rationem meriti, & non ut habeat rationem impetrationis; sed talis conditio ad merendum est status viæ, extra quem sunt omnes Beati in Cælo; ergo ibi non merentur, licet possint nobis impetrare. Undè si aliquando miscetur meritum, & impetratio, ut quando petimus, & impetramus aliquod beneficium per merita Christi; hoc accidentale quid est impetrationi, illique extrinsecum; ac proinde non tollit ejus distinctionem, & separationem à merito, prout diximus.

48. Dubium 4. Quonam pacto differat meritum, sive valor præmii à valore pretii? Primò differunt in eo, quòd meritum sit proprietas actionum, & operationum, quæ liberè, & moraliter fiunt in creatis: valor autem pretii sit etiam transcendens per actiones brutorum, & res inanimatas. Secundò in eo, quòd valor præmii fundetur in bonitate morali: valor autem pretii in utilitate rei per ordinem ad vitæ commoda. Tertio in eo, quòd res pretio æstimabiles possunt esse sibi ad invicem pretium: non ita tamen meritum, & præmium; siquidem nullum præmium potest esse meritum sui meriti, aut è contra.

## SECTIO IV.

## Qualis, &amp; quotuplex sit Meriti divisio?

**C**onclusio prima sit: Meritum in tota sua latitudine dividitur in Meritum, quòd tale est apud homines, & quòd tale est apud Deum. Ita *P. Soar. tom. 3. de grat. lib. 12. initio num. 3.* Probatur, quia respectu utriusque potest dari conditio illa, sive valor præmii, aut mercedis in operatione humana juxta illud ad Rom. 4. 2. ibi: *Si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum: ubi meritum apud homines insinuavit; ergo &c.*

Conclusio secunda: Meritum apud Deum (de quo nobis est sermo,) dividitur in naturale, & gratuitum. Ita *P. Soar. cit.* Probatur, quia Meritum naturale potest in operibus moralibus, & ordinis naturalis inveniri; sunt enim talia opera de se meritoria alicujus præmii, etiam apud Deum, ut sentit *D. Thom. 1. 2. quest. 21. art. 4.* & nos infra dicemus; ergo &c. Advertet tamen hoc Meritum naturale, cum non procedat à gratia, non dici simpliciter Meritum, sed cum addito, nempe *Meritum humanum*, ut insinuatur à Concil. Araus. cap. 6. & appellatur à *D. Aug. supra cit.* non tamen dicitur *humanum*, quatenus non sit apud Deum, sed quatenus solis viribus humanis sit, & solùm humanum, & temporale præmium mereatur; sic enim dixit idem *D. Aug. cit.* Deum remunerasse bona opera naturalia infidelium, & remunerasse olim Romanos, conservando, & augendo eorum Imperium, dum justitiam servaverunt. Undè tale Meritum est valde imperfectum.

Conclusio tertia: Meritum gratuitum, quòd etiam dici potest divinum, & supernaturale, & simpliciter dicitur Meritum apud Deum, eò quòd divinà tantum virtute, tanquam effectus gratiæ elevantis hominem ad statum, & finem supernaturalem, tendit ad ipsum finem, & statum gloriæ assequendum, adhuc dividitur in Meritum excellentiæ, seu de rigore justitiæ, quòd est proprium Christi Domini, utpotè quòd in gratia Unionis Hypostaticæ fundatur: & in Meritum commune, seu inferioris ordinis, quòd in personâ purè creatâ per gratiam adjutâ potest inveniri. Ita *P. Soar. cit. n. 6. & alii.*

Conclusio quarta: Meritum commune, seu ordinis inferioris etiam subdividitur in Meritum de condigno, & in Meritum de congruo: Primum est Meritum simpliciter, & de justitiâ: Secundum est Meritum secundum quid, & ex quadam decentiâ. Divisio est analoga, ideoque nihil de Merito in communi, ut ab illis duobus abstracto, sed de utroque sigillatim dicendum erit per sequentes disputationes, sic enim & divisionem comprobabimus, & totam rationem meriti exponemus.

Difficultas hæc est: Utrum homines operando ex gratia possint mereri apud Deum, absolutè loquendo, de condigno, & secundum aliquam justitiæ æquitatem? Affirmativè. Non est assertio de fide, quia nullibi definita est, est tamen omnino vera, & valde consentanea principiis fidei, & testimoniis Sanctorum Patrum supra allegatis, & infra allegandis, sicque conclusio est Theologicè certa, & illam in his terminis tenent communiter Theologum *D. Thom. 1. 2. q. 114. art. 1. Caier. ibid. Medin. P. Valent. d. 8. q. 6. punct. 1. & 2. Aristodorus lib. 3. sum. tract. 16. q. 2. Alens. 3. p. q. 16. memb. 5. & art. 2.*

art. 2. D. Bonar. in 2. dist. 27. art. 2. q. 3. Gabr. ibid. q. 1. art. 2. Conclus. 1. & 3. Richard. ibid. art. 2. q. 3. & in 4. dist. 46. art. 1. q. 1. Scot. in 1. dist. 17. q. 2. S. Ad solutionem, Marfil. q. 18. art. 5. Conclus. 2. Sor. lib. 5. de Natur. & grat. cap. 7. Romeus lib. de Necessitat. oper. verit. 22. P. Bellarm. lib. 5. de justitiat. cap. 16. P. Soar. tom. 3. de gra. cap. 1. n. 10. P. Tanner. d. 6. q. 6. dub. 1. num. 7. P. Vasq. 1. 2. d. 213. cap. 2. P. Merat. d. 13. de grat. sect. 2. P. Amicus d. 35. n. 4. P. Arriag. d. 53. sect. 1. n. 1. P. Compton. tom. 1. d. 126. sect. 1. n. 4. P. Rhodex tom. 1. d. 4. de grat. q. 1. sect. 16 & plures alii.

54. Probatur primò autoritate sacræ Scripturæ. Coloss. 1. Ut ambuletis dignè Deo. Et 2. Thess. 1. Ut digni habeamini regno Dei. Et Apoc. 3. Ambulantur mecum in albis, quoniam digni sunt. Et Sap. 3. Deus tentavit eos, & invenit illos dignos se. Et sæpè alibi, ex quibus locis satis constat, merita nostra ex gratiâ habita dignè, sive condignè à Deo remunerari. Neque quod aliqui distinguunt inter dignum, & condignum, itaut mericum dignum, non autem condignum admittant, alicujus momenti est, cum id nimis leve quid sit, ut ait P. Bellarm. cit. siquidem Interpres Latinus eandem vocem Græcam, nunc vertit dignum, ut in locis citatis, nunc condignum, ut ad Rom. 8. Non sunt condigne passionis, &c.

55. Confirmatur primò ex supra dictis à num. 1. quia meritum de condigno est meritum simpliciter, verum, & proprium; ergo testimonia, quæ probant dari in nobis verum, & proprium meritum, probant etiam dari in nobis meritum de condigno. Secundò, quia in pluribus locis sacræ Scripturæ adductis loco proximè citato, dicitur gloria Merces, Bravium, Corona, Præmium, Retributio, &c. sed hæc sine dubio important condignitatem in opere, cujus sunt Merces, Bravium, Corona, Præmium, & Retributio; ergo &c.

56. Probatur secundò autoritate Conciliorum de quibus supra num. 3. & specialiter ex Trid. sess. 6. can. 32. ubi dicit, justos verè mereri augmentum gratiæ; neque enim sine causa addidit verè, sed ut indicaret verum meritum, nempè de condigno: sicut etiam addidit augmentum gratiæ, quia hoc cadit sub meritum, non autem prima gratia; alioqui si loqueretur de merito secundum quid, sive de congruo, non est cur etiam non comprehenderet primam justificationem, utpotè quam de congruo mereri possumus. Et simili modo loquitur can. 26. & cap. 26 ubi in confirmationem hujus veritatis adducit testimonia Scripturæ supra cit.

57. Probatur tertio autoritate Sanctor. Patr. D. Aug. epist. 105. ibi: Cui deberur vita æterna, vera justitia est, si autem vera justitia est, ex te non est. Et infra: Vita æterna, ait, justitiæ quidem stipendium, sed tibi gratia est, cui gratia est, & ipsa justitia. Idem habet in Enchirid. cap. 17. & lib. de grat. & liber. arbitri. cap. 7. 8. & 9. & tr. 3. in Joan. Et D. Cyprian. cum epist. 25. ad quosdam scripsisset, eos laudans de confessione fidei: Reddet tibi (respondent epist. 26.) Dominus pro ista tua charitate mercedem, & hujus tam boni operis repræsentabit debitam frugem, &c. Et D. Hieron. in Isai. 49. de Deo dicit: Potentiam suam nostro arbitrio dereliquit, ut justè voluntas præmium consequatur. Idem habent D. Hilar. in Psal. 114. & D. Amb. serm. 5. in Psal. 118.

58. Probatur quartò rationibus: Prima, quia gratia facit homines dignos vitæ æternæ; siquidem cum sit singularis participatio Naturæ Divinæ, connaturales ei sunt participationes illorum actuum, quibus Deus beatus efficitur, qualis est visio, & amor sui, in quorum participatione consistit vita æterna;

etiam opera, quæ ex illa procedunt, ratione, seu virtute illius sunt merita digna vitæ æternæ; sicut enim gratia habet proportionem cum vita æterna, tanquam cum ultimo fine, ita illam habent opera gratiæ tanquam media illi maximè proportionata; consequenterque ut merita ejus condigna.

Secunda, quia gratia dicitur à Christo Domino Joan. 4. 14. Fons aquæ salientis in vitam æternam; ergo & naturâ suâ, & per opera ex illâ facta, Teritia, quia gratia dicitur semen gloriæ; ergo sicut semen habet naturalem proportionem cum vivente, ita habet gratia cum gloria, ad quam hominem per sua opera ex gratiâ facta perducit. Quarta, quia homo per gratiam constituitur amicus, & filius Dei; filius autem ex justitia est patris hæres juxta illud Rom. 8. 17. Si filii, & hæredes. Quinta, quia si nostra bona opera ex gratiâ facta non haberent ex se dignitatem, & æqualitatem aliquam cum gloria, sed ex sola promissione, & acceptatione divina, sequeretur. Primò, nostra opera bona naturalia posse etiam dici condigna gloriæ, si Deus propter illa gloriam promitteret, quod est falsum. Secundò, opus minus bonum esse magis meritorium de condigno, si Deus illud ita acceptaret, quod est contra Theologos; ergo &c.

Sexta, quia vita æterna Matt. 20. dicitur denarius diurnus laborantium in vinea; sed denarius diurnus est justum pretium, & habet æqualitatem cum labore diurno; ideò enim vocatur denarius diurnus, quia solet ex communi æstimatione respondere labori diurno; ergo &c. Septima, quia Deus est, qui electos per merita perducendos decrevit in vitam æternam, ut bravium, & coronam justitiæ; ergo sine dubio ejusmodi merita illis donat, quibus verè, propriè, ac de condigno perveniunt ad coronam; siquidem neque potestas, neque sapientia, quibus id faceret, Deo deesse potuerunt. Octava, quia nostra merita pendunt à meritis Christi: tum quia ille nobis meruit virtutem merendi: tum etiam, quia nos meremur, ut membra viva Christi, & per influxum, quem ab illo, ut à capite nostro recipimus; ergo multum detrahitur de gloria Christi, si nostra merita sint ita imperfecta, ut non sint merita de condigno, nisi ratione promissionis, & acceptationis divinæ.

Contra hæc veritatem quasi de fide, utpotè quæ principiis de fide fundatur, stat Lutherus à fortiori, & omnes illius sequaces, quatenus & hi, & ille asserunt nullum dari meritum, neque opera bona quidquam conferre ad salutem consequendam, dum ait serm. de Novo Testam. sive de Missa: Caveamus, inquit, à peccatis, sed multò magis à legibus, & operibus bonis, tantum attendamus Dei promissionem, & fidem. Et serm. Sic Deus dilexit mundum, ita loquitur: Ego, ait, dico tibi, quia angusta est via, oportet te fieri tenuem, si vis per eam venire. Caterum qui operibus onerati sunt, sicut conchilibus onustos videmus Jacobi peregrinos, non poterunt penetrare. Et infra: Si veneris, ait, cum magnis saccis operum plenus, depone oportebit, alioqui non poteris penetrare: Hæc Lutherus, ridiculè magis, an impie, nescio; unum scio, saccum suum bonorum operum deposuisse Lutherum, & per angustam Cæli portam minimè intrasse, sed cum suo malorum operum pleno sacco ad inferos per latam, & spatiosam, sibi que speciosam descendisse viam.

Ex Catholicis merita justorum apud Deum simpliciter fatentibus, aliqui adhuc negant, posse nos mereri de condigno, præsertim gloriam. Ita sensit Durand. in 2. dist. 17. quæst. 2. art. 12. Burgenf. in addit. ad Lyr. in psalm. 35. & Arimin. in 1. dist. 17. q. 1. art. 2.

59.

60.

61.

62.

art. 2. Citantur etiam D. Thom. *quæst. 14. art. 1. Caier. tomo 3. opuscul. tract. 11. cap. 6. §. Verum tamen, Marfil. in 2. quæst. 18. art. 4. conclus. 1.* sed alium esse eorum sensum dicit P. Soar. *tomo 3. de Grat. lib. 12. cap. 1. num. 2.* Ab hac Durandi sententiâ putant P. Arriag. *cit. P. Compton. & alii, parùm differe P. Agid. d. 8. de Merito, dub. 3. num. 32.* quamvis enim opera nostra vocet condigna, negat tamen illa, etiam ut dignificata per gratiam, esse æqualis valoris cum præmio, quatenus hoc, cum sit ipse Deus, sit absolutè infinitum, dignitas autem nostri operis, quantumvis boni, sit absolutè finita; sicq; solum censenda esse nostra opera condigna, quia Deus ea in ordine ad illud præmium acceptat. Hoc autem optimè impugnat P. Arriag. *cit. num. 3.* Ad huc tamen pro illis:

63. Argues 1. autoritate Scripturæ ad Rom. 8. ibi: *Non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Et 2. Cor. 4. ibi: *Quod in presenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternam gloriæ pondus operatur in nobis; ergo ex Apostolo nostra bona opera videntur non esse condigne meritoria vitæ æternæ.* Respondeo Apostolum locis cit. loqui de operationibus, & passionibus externis: aut si de internis, loqui de internis merè naturalibus, non autem de internis dignificatis per gratiam. Ad do, secundum locum pro nobis facere, quatenus Apostolus tribulationibus nostris per gratiam libenter toleratis concedit operari in nobis gloriam, illam verè, & propriè, sicque de condigno promerendo.

64. Argues 2. Psalm. 102. dicitur: *Qui coronat te in misericordia, & miserationibus.* Et Matt. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Et Luc. 17. *Cum feceritis hæc omnia, dicit et servi inuites sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Et Jacob 2. *Judicium sine misericordia ei, qui non fecit misericordiam.* Et ita in pluribus aliis locis, de quibus supra à num. 7. ex quibus videtur colligi, nostra bona opera nullam habere condignitatem cum vitæ æternæ; ergo &c. Respondeo omnia hæc, & similia loca, si quæ sint, & adducantur, intelligenda esse, prout proximè, & supra diximus, aut de nostris operibus naturalibus; aut si de supernaturalibus ex gratia factis, quod beatitudo tribuatur quidem misericordie, non quia non sit merces, corona, bravium, & retributio nostrorum operum ex justitiâ, sed quia merita ipsa ex misericordia habent, quod sint condigna vitæ æternæ.

65. Argues 3. Rom. 6. dicitur: *Stipendium peccati mors, gratia Dei vitæ æternæ:* ubi Apostolus videtur excludere condignitatem nostrorum meritorum per ordinem ad vitæ æternam consequendam, cum tamen exprimat cõdignitatem peccati ad pœnâ æternam suscipiendam; neque enim vitæ æternam dicit stipendium bonorum operum, sicut mortem æternam dicit stipendium peccati; ergo &c. Respondeo cum D. Aug. locis supra cit. num. 10. Primò, Apostolum, sicut dixit *stipendium peccati mors,* potuisse etiam rectè dicere, *stipendium justitiæ vitæ æternæ;* qui enim unum affirmat, alterum non negat. Secundò, non eodem modo locutum fuisse de vitæ, atque de morte æternæ; ne quis existimaret, ita nos ex nobis habere justitiam, & vitæ æternam, sicut ex nobis habemus peccata, & mortem, sive condemnationem æternam.

66. Argues 4. Apostolus 2. ad Tim. 4. dum dixit: *Quam reddet mihi in illa die justus iudex:* rectè posuit *justus iudex:* & rectè non posuit: *justo iudicio:* siquidem Deus, qui reddit præmia justis, & pœnas

injustis, justus, & misericors est, ita tamen, ut tanquam justus iusto iudicio pœnas reddat injustis, & tanquam misericors, liberaliter præmia reddat justis; ergo non ex condignitate operum justorum, Respondeo cum P. Bellarm. *cit. cap. 16.* non rectè à Durando (cujus est hæc expositio) exponi sententiam Apostoli: Primò, quia Apostolus ibi loquitur de reddenda corona justitiæ tanquam Iudex justus, sicque ex justitiâ; alioqui superfluum esset illud: *justus iudex:* eo loco ubi non agitur de pœnis impiorum, sed de præmiis justorum, si Deus solas pœnas ut Iudex, & præmia ut liberalis tribueret. Secundò, quia D. Aug. in *psal. 82.* tractans hunc locum, dicit, Deum indulgentiæ esse largiorem; coronæ autem debitorem, idè quæ indulgentiam, ut patrem, coronam verò justitiæ, ut iudicem iustum tribuere.

Argues 5. ex eodem Durando: Si aliqua esset proportio, & condignitas in nostris operibus, esset, quia sunt ex gratia, & Spiritus Sancti motione; Sic enim supponit nostra sententia; & nihil aliud assignari potest, à quo proveniat; sed hoc non sufficit: tum quia Spiritus Sanctus est extrinsecus motor, à quo talis dignitas sumi non potest: tum etiam, quia aliquando sic movet peccatorem ad bene operandum, quin propterea de condigno mereatur; ergo &c.

Respondeo cum P. Soar. *cit. num. 18.* negando minorem; ad cuius primam probationem dicimus, Spiritum Sanctum, licet sit extrinsecus motor, cum sit in hominibus iustis intrinsecè per inhabitantem gratiam, illos reddere intrinsecè proportionatos, & dignos gloriæ; consequenterque dare illis intrinsicam dignitatem, & virtutem, nempe gratiam, per quam faciant opera tali præmio digna: at verò id non invenitur in actu peccatoris ex motione Spiritus Sancti facti; siquidem cum non sit ab Spiritu Sancto ut inhabitante in illo per gratiam, hæc illi deficiente, non potest peccator per talem actum aliquid de condigno mereri. Et per hoc data est solutio ad secundam probationem.

Argues 6. ex eodem Durando: Meritum simpliciter, sive de condigno est illud, cui ex justitiâ debetur merces, ita ut si is, apud quem alius meretur, mercedem neget, sit simpliciter injustus; sed impossibile est dari in homine tale meritum ad Deum; alioqui non posset Deus, etiam de potentia absoluta negare gloriam homini merenti illam; quod sentire, est temerarium, & blasphemum, ut ait ipse Durandus; neque enim Deus per quamcunque potentiam potest esse injustus; fieret autem, si negaret, quod ex justitiâ deberet; ergo &c.

Respondeo hoc argumentum Durandi supponere, non posse dari rigorosam justitiam inter Deum, & homines, quæ obligetur ad reddendum præmium, ad quod ipsi habuerint condignitatem, cuius quæstionis decisionem infra videbimus, interim cum P. Soar. *cit. 19.* dicimus, quidquid sit de obligatione justitiæ ex parte Dei, adhuc posse intelligi condignitatem in merito respectu præmii; siquidem condignitas sumitur ex hoc solum, quod opus habeat proportionem, & moralem valorem respectu talis præmii; potestque explicari per obligationem justitiæ quasi hypotheticæ, quatenus scilicet de se sufficiens est ad inducendam obligationem justitiæ ex parte reddentis præmium, si illius persona sit talis obligationis capax, cuius tamen incapax videtur Deus. Patet in meritis Christi Domini, quæ sunt maximè condigna, & infiniti valoris; & tamen aliqui eis negant rationem justitiæ ex aliis titulis, ut negant P. Vasq. P. Mol. P. Less. & alii, quos

quos citat, & sequitur *P. Lugo de Incarnat. d. 3, sect. 1 n. 4.* ubi dicitur de hac questione.

71. Argues 7. Deus clarè visus, qui est præmium nostrarum operationum, est in se infinitus; & visio clara Dei, quæ est nostra beatitudo formalis, saltem inadæquata, cum sit æterna, est etiam præmium infinitum; ergo nostra opera, cum sint finita, non possunt habere condignitatem cum illis. Respondeo Deum esse quidem infinitum in se; non tamen in modo, quo attingitur, & communicatur creaturæ per visionem Beatam; sic enim attingitur, & communicatur modo finito, & est finitus; sicut finita est ipsa visio Beata illum finito modo attingens, licet sit æterna; hoc enim habet, quia præmium semel à Deo donatum merenti, debet esse perpetuum: *Sine penitentia enim sunt dona Dei*, ut ait D. Paul. Rom. 11. 29. nisi ob aliquod demeritum tolli debeat; Beati verò non possunt peccatum aliquod committere, ob quod visione Dei priventur, ut suo loco dicemus.

72. Inferes: Ergo cum Unio Hypostatica sit etiam finita, poterit homo condignè illà sibi mereri. Respondeo negando illationem; diversa ratio est, quia Deus communicatus homini per Unionem Hypostaticam sanctificat illius humanitatem infinitè, cum sit ratio causalis constitutiva suppositi infiniti: at verò quando se communicat per visionem Beatam, aliter se res habet, ut patet, cum sit communicatio solum intentionalis.

73. Argues 8. Pecunia non habet ex se valorem condignum cum re emptà pretiosà, sed solum ex voluntate Principis, qui potest pro libito pecuniæ, sive aureæ, sive argenteæ valorem augere; ergo idem dicendum de nostris meritis in ordine ad emendam gloriam; cum sit ad eò pretiosa, ut de illa dicatur Gen. 15. *Et merces tua magna nimis.* Respondeo primò negando consequentiam; neque enim exemplum convincit; alio qui etiam probaret: Primò, nostra bona opera naturalia posse etiam dici condigna vitæ æternæ, si Deus illa acceptaret, & propter illa gloriam promitteret; nam si Deus potest operibus supernaturalibus conferre hunc valorem, quem ex se non habent, quatenus vult illa acceptare, cur non posset ita conferre naturalibus? Secundò, posse opus supernaturale minùs bonum esse magis meritorium gloriæ, quàm aliud magis bonum, quatenus Deus posset illud, & non ita hoc ad tantum præmium acceptare: primum autem est falsum; & hoc secundum contra communem Theologorum sensum.

74. Respondeo secundò negando etiam consequentiam; diversa ratio est, quia pecunia solum habet valorem ad emendam rem, quatenus est utilis ad merces comparandas; neque enim movet ob aliquam bonitatem honestam, aut pulchram, quam in se habeat, sed per modum communis, & arbitrarij signi; hæc autem utilitas bene potest procedere à voluntate extrinseca Principis volentis, ut res tanti, aut tanti valeat: at verò nostris merita, quæ præmium merentur, non illud merentur per modum rei utilis, sed ob bonitatem honestam, quam in se habent, tum ratione honestatis; tum ratione libertatis; tum ratione dignitatis ex gratiâ. Unde cum talia opera ex eo, quod Deus illa acceptet, & illis promittat hoc, aut illud præmium, non reddantur magis honesta, libera, aut digna, non potest intelligi quomodo ex tali acceptance, & promissione fiant condigna gloriæ, si antea talia non erant.

75. Neque locus ille Scripturæ adductus aliquid probat contra propositam sententiam; fatemur enim, mercedem nostram esse magnam nimis; nam

Tom. 2.

*Non oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparavit Deus iis, qui diligunt illum.* 1. Cor. 2. 9. in loco autem supra cit. nec verbum ponitur denotans, opera facta ex gratiâ non esse condigna vitæ æternæ.

Argues 9. Ex communi Theologorum proloquio: *Deus remunerat meritum ultra condignum, & punit demeritum citra condignum;* ergo præmium, sive remuneratio est major, quàm operis condignitas; alioqui jam Deus, non ultra, sed juxta condignum remuneraret. Respondeo primò cum *P. Merat. cit.* proloquium illud esse magis pium, quàm ex Scripturâ, Patribus, aut ratione certum.

76. Respondeo secundò ex proloquio adducto magis firmari, quàm infirmari traditam doctrinam; nam si Deus præmiando ultra condignum excedit condignitatem nostrorum operum, ergo nostra opera habent aliquam condignitatem ad vitam æternam sibi correspondentem, licet non in tantâ intensiōne, quam Deus ex suâ liberalitate nobis confert.

78. Argues 10. Nemo potest ex justitiâ, sive de condigno mercedem ab alio petere, nisi reddat ei omnia, quæ illius sunt, & aliquid amplius; sed nos non possumus Deo unquam reddere omnia, quæ illius sunt, & aliquid amplius, quod illius non sit, cum omnia ipsius sint; ergo nunquam possumus ab eo ex justitiâ, sive de condigno mercedem, sive gloriam petere. Respondeo primò, ut nostra opera habeant condignitatem cum gloriâ, non opus esse, quod Deus illam nobis debeat ex justitiâ, pro ut supra diximus n. 70.

79. Respondeo secundò cum *P. Bellarm. cit. cap. 16.* verum quidem esse, non posse hominem absolute à Deo aliquid exigere de justitiâ, cum omnia sint ipsius Dei; posita tamen Dei voluntate, & pacto, quo non vult à nobis exigere opera nostra gratis, sed mercedem reddere juxta proportionem, & condignitatem operum, posse verè ab eo talem mercedem jure exigere. Patet in servo, hic enim non potest absolute à domino suo ullum præmium postulare; siquidem omnia, quæ servus acquirit, domino suo acquirit: si tamen domino placeat donare illi opera sua, & pro iisdem tanquam sibi non debitis mercedem promittere, jure quidem servus mercedem pro suis operibus postulat à domino.

80. Addo cum eodem *P. Bellarm. cit.* argumentum habere locum, si Deus ex justitiâ commutativa (de quo infra) mercedem redderet operibus bonis: cum tamen Deus ex justitiâ distributiva (de quo etiam infra) præmia bene operantibus dare decreverit, non est opus, ut ei propriè aliquid demus. Patet, quia illi, qui currunt ad bravium, non dant aliquid Regi; & tamen Rex tenetur bravium tribuere ei, qui alios in cursu superaverit; ergo &c.

